



## TRACTATUS

## DE NATURALIBVS VIRIBVS.

**N**TER ad miranda præclaræque naturæ miracula, quid insignius Castrioli Principis priuilegijs, somnium modo matris omitto, ensis in dextro brachio depictus, & nunquã in tot præliis fuisse vulneratum, cum & eminus & cominus acerrimè certaret, & vbi acies strictæ erant, se infereret. Sed & in visionibus talia quædam accidunt, videmur dæmones videre, qui nulli tamen sunt, quandoque etiam videmus verè. Vt ergo discrimen dignoscamus verarum visionum à falsis, & quæ nobis vitio humorum aut assidua cogitatione aut alia occulta causa obiciuntur, illud obseruare oportet, quòd visionem veram primùm contemplatio stabilis & idoli fabricatio in mente præcedere consuevit: at dæmonum aduentum preces ad Deum suffususque. Illi etiam repente adueniunt, & mentem præcellunt metu horroreque, hæ sensim ac sine horrore, hæ neque quæstis respondent, nec voces habent iunctas, sed sola spectata & inconnexa sunt, velut in somnis: dæmonum verò præsentia voces adiungit, propositis respondet, atque ordinata est, mouetque affectus, non solum cum illis sit, velut lætitia desperationem, amorem & odium, visiones autè non illum eruditis familiares, & arte magis constant, dæmones ad mores magis pertinent, nec arte indigent cogitandi, breue etiam plerumque est tempus visionum, & vni soli conuenit, etsi plures sint non eadem vident, at Dæmonum conuersatio communis plerumque omnibus, qui præsentibus sunt atque diuturnior. Quorum prædictiones constantes sunt saltem in rerum substantia, nec vsu sunt faciliores aduentus, cum visiones vsu incrementum accipiant, nec certam habeant de incognitis prædictionem. In vniuersum visio sensus leuiter tangit, vt cum videris aut etiam si modo audieris quod rariùs euenit, incertum te relinquit. Dæmones autem sensus vt res ipsæ validis motibus mouent, cumque redeunt simile quippiam retinent non vt visiones, quæ in incertum vagantur. Ipsi etiam quasi dormituriens magis adueniunt, & melius ab eis deprehenduntur dæmones quàm à vigilantibus. Et cum ex his omnibus sedecim discriminibus, quorum quòd ad ordinem pertinet, exitum, consensum sociozum, auditumque certissima sunt, vnum effeceris, tutò distinguere licebit, scilicet vt ita videas atque audias, vt te videre audirèque con-

stanter intelligas, nullo sensu imminuto aut torpido, sed omnibus integris, ordinè certo & perfectò: successu quoque rei attestante, & rigentibus præ horrore capillis. Sed ad ordinem reuertamur, sunt quædam propria familiarum velut Cardanorum Palauicinarum vt audio & Torellorum atque aliarum insignium, nec etiam totis familiaribus sed stipitibus quibusdam tantum, & in his vni non alteri, adèd vt quidam decies iu huiusmodi portenta incidant, quidam vix semel & obscurè. Sed & in hominibus quædam admiratione digna videntur, velut in morte Calani. Sed nec nostra ætate Calani desunt; habes enim perpulchrum exemplum & nulli antiquorum inferius, quod refert Ioannes Bartius contigisse in Iacola vrbe aureæ chersonesi, cuius nomine Nina chetu prædiues ac cum filiis adultis iam, sed non admodum nobilis, qui ob merita à Prorege Lusitanorum Alphonso Albo in præfectum vrbis suæ electus erat. Verum cum ob humilitatem generis & nobiles vrbem relinquerent, & etiam de quibusdam veneficijs accusaretur, non tamen morte dignis, vbi audiuit regem alterius vrbis minoris sibi suffectum, dilationem octo dierum impetrauit, quo tempore apud ciues electio à Prorege noua non publicaretur, interim munere suo fungens pyram seu rogam è lignis aloes & santhalorum ingentem extruxit, viam tæpetis totam à domo ad rogam, qui in foro erat, sericeisque ac aureis pannis adornauit, sparsit, vbique flores, thymiamatà succendit, demum lætus in rogam iam ardentem, paucula de ingratis Lusitanis maximèque Prorege ipso quæstus, tum de animorum immortalitate ac Dei iustitia atque gratia sapienter differens (is quidem religionem Brachmanarum, & iuxta Philosophorum opinionem colunt, ac de dijs rectè sentiunt, se proiecit ac breui in cineres reductus est. Hic non inopia aut senio grauis vt Calanus, aut orbus vel motu iudicij tam generosæ morti (sed exigua motus indignatione) se obiecit. Vir sane dignus si quis alius cuius memoria perpetuo celebraretur. Ex naturalibus quoque viribus erat quod antiqui ad Dæmones referrebāt litare non litare: litare vocabāt, quoriscunque hostiis caris infansum quid appareret, quod si nil omnino aduersum apparuisset, litasse existimabant: sin autem aliquid etiam generosius inspicretur,

ceretur, læta exta vocabant, & voti compotes se futuros separabant. Nitebantur itaque perperam, multis mactatis hostiis ab illis extorquere responsa: cum verò bona essent, recipiebant: cum mala abstinebant à capris, sed si nihil captum esset, licebat & secundam hostiam mactare atque consulere non tamen ultra. Exta vocabant quod extarent, horum omnium primum caput fuit iecur, post cor, inde intestina post pulmo inde lien receptum est, & caput prodigio cæcis non alia significatione: vesica etiã fellis ad aruspicium facit. Victimæ principales sunt talpæ & tauri & iuenci, præcipuè & boues & vituli, sed hi minus, post sunt gallinæ, inde sues canes ouesque & capræ. Sed omnia hæc præter iuencorum genus talparum & gallinarum peculiaribus solum in sacrificiis dæmonibus, ac notis tamne causis inseruiunt Tria illa genera omnibus sunt communia. Ex septem membrorum generibus, etiam quinque quæ peculiarem tantum habent significationem. Intestina si rapiantur ab aquila faustum, si à corvo faustum esset sed minus, si ab hostibus faustum si infausta, infaustum si fausta essent. Si autem exederentur à serpentibus vel muribus exitiale, at si in extis dracones apparere, vt felix & faustum. Fel de morbis & humidis rebus significat vt piscatione & nauigatione, ob id ab antiquo Neptuno dicatum: caput non nisi cum stento inter extra numeratur. Fel duplicatum victoriam aut concordiam significat, quòd esset ren vnicum. Sed vnicum ren haud victoriam decernit, verum potius infaustam nauigationem & impedimenta atque obsidionem: lien autem ad dextram vergens, omninò inauspicatum & infelix augurium malumque finem ostendit. Generaliter autem hostiarum corrupta viscera, aut eorum quæ excrementis dicata sunt magnitudine exuperantia malum aërem & malas aquas, & corporum insalubrem habitum denuntiant. Inter ea autem pessimum lien, inde renes & vesica, inde fel post intestina. Magnitudo autem iecoris & ipsius rubens nitor, & adipis ac leui candor eximius ac splendidus & incorrupta substantia, sine lapillis sine linore maculis tuberibus pituitate salubritatem loci egregiam portendit. Cor tamen magnum in extis hostiarum timidus homines regionis declarat, quòd animalia timida vt lepus & capreolus magnis cordibus prædita sint. Sed quòd ad diuinationem spectat antiqui omnia quouis modo viciata saniosa exesse generaliter vt infausta abominabantur. In cæteris incrementa omnia & decora auspiciata & felicia existimabant, imminuta numero magnitudinè aut infomia infausta iecoris, igitur caput magnum aut duplicatum incrementa portendebat, ita si coronatum quasi esset: vel si in fibrarum extremis retractum rursus coronæ effigiem repræsentaret: contra infaustum si caput exiguum esset, vt si omnino nullum, pro di-

ro habebatur. Cor defuisse in hostia cum miraculum esset certum exitium declarabat, sed si silens nec palpitans omnino infaustum & prope exitale. Cor magnum vt dixi felicitatem portendit, constans tamen aliquo aduersis auspiciis feliciter pugnasse, quòd vt dixi naturalis esset diuinatio & prælagium cum responsione non dæmonum.

PH: Audiuimus pulchram de Aruspiciis disputationem: sed si liber, hoc dicto, si mortui isti ad nos veniunt, cur nemo thesauros eorum monitu inuenit sed casu potius, nemo secreta naturæ nisi arte & studiis literarum experimentisque, discat; nemo progeniem suam ad centesimum aut ducentimum maiore suum, quod libenter multi facturi essent, traducere ac recognoscere potest: sed quicquam habetur ex his id totum antiquorum diligentia maiorumque nostrorum scriptis debetur. Non qui quid inuentus est, qui hoc admirabili inuento ausus sit tradere antiquas & obsoletas historias, aut de futuris aliqua prædicere, seriemque successorum enumerare. Er: Breui rem agam, non sunt nobis mortui adeò familiares, vt hæc docere velint, verum aduentus illorum prodigiòsus, & parum utilis conuersatio, nec vocat huiusmodi petere ab eis, satis sit illos esse atque beatos, non autem nobis familiares: quæcunque enim eiusmodi referuntur, vana sunt & inania, quidam tamen pauca huiusmodi nouerunt. Sed tamen Magia naturalis non eo profecta mihi videtur, sed ex naturalibus rerum viribus, quanquam occultis, velut illud, de quo Plinius agit vir minime superstitiosus. Verba eius subnectere placuit: Haud procul vrbe Roma in Phalistorum agro, familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ quæ sacrificio annuo quod sit ad montem Soractem Apollini, super ambusta ligni struem ambulantes non aduruntur; & ob id perpetuo senatus consulto militia omniumque aliorum munerum vocationem habent. Hæc vir minime superstitiosus & magiæ insensissimus, ex publica fide nobis scripta reliquit. Alij inquit Iamblicus super flumina sicci ambulant: huius causam refert ille de his, animam scilicet nostram Deo quasi iunctam vincire elementorum vim. Ego propriam quandam peculiarè quæ naturam in causa esse dixerim. Sic in Colophone Asia minoris vrbe, porta maris inter Lariam & Lydiam hausta aqua ex subterraneo fonte sacerdos diuinabat, & in Branchidis in Ionia iuxta Posideum oppidum ex vapore solum aquæ, & in Delphis in Græcia ex spectu hausto halitu futura prædicebant, sicut etiam in Trophonij antro vsque quòd cuperet videbat. Omnia hæc ad occultas rerum proprietates pertinent, quibus homines admiranda peragunt. Ignis etiam amicans vt Ser Tullio regi, Terentio Ciceronis ante illius consularum I. Marrio Scipioni reliquias colligenti ex hoc genere est & faustum. Quæ etiam contingunt vni

ad hæc referuntur, vt in Alanso Chignono Hispano, qui vt vidimus pilos in sputo mucosarium vrina fecibus sanguine ex vena misso cuiuscunque coloris emittebat, verū nobilior pars huius magiæ à fato pendere, Mori non decretum est: quid refert seu in mare deiiciat, seu laqueo suspendat seu in latrones incidat? cum ea caulam suam supernaturalem habeant, quanquam etiam sæpe à natura proficisci referri solet.

Sic latuus ille sacer Palladiumque & statua Metelli aliaque multa huiusmodi ex maximis incendiis non solum seruata sunt, sed illæsa atque iniolata mansere, quorum exempla etiam nostra ætate non de sunt. Magna & admirabilis est hæc vis concordia: fati; quam si homines noscerent atque præscirent admiranda facerent, viderenturque omnia plena miraculis: sic de casu ab alto & aliis quæ contingunt fortuitis. Atque in eo genere forsitan collocabuntur etiam acta Ioannæ puellæ Lotharingæ quæ superauit Anglos obsidentes Aureliam. Ea enim in Barrensi agro nata humili stirpe, Iacobo Darco patre & Isabella matre, angustiores humana virtute spiritus gerebat, Tricasses expugnauit, & Anglorum munitiones non semel, bis icta semel sagitta, altera vice lapide milites incitauit ad pugnam: & certam spem potiundæ victoriæ iniiecit, nec falsa fuere promissa testata tum tunc, tum eum Regi regni restitutionem polliceretur:

Est & alia magiæ species, quæ sit, ex consensu cum coniunctis, vt cum ad lepram fit balneum ex aqua, in aqua primam lotus est infans: ad colicos dolores cum argenteo annulo umbilici infantis pars præcisa includitur: ad comitiales cum cranei scobs humani deuoratur: ad odium cum stercus illius quem amat calceo imponitur eo nesciente: ad veneficium sanguis leprosi in potu datur: ad podagram pueri nuper nati detenti capilli impositi pedi: ad synanchen & tonsillas pueri stercus siccatum impositum: vestis quoque infantis quam secundam vocamus opitulatur lepræ si ea fricetur, dens qui sponte exciderit à puero, altero succrescente, à muliere gestatus in brachio, prohibet ne concipiat, includitur autem prius auro vel argento. Menses mulieris in cibo sumpti lymphaticos & amentes reddunt: ac quasi philtro detentos. Idem fata corrumpunt, speculorum nitorem vitiant, vrina quoque viri epõta, secundam à partu retentam eiicit, stercus etiam hominis exustam vlcibus pessimis & carcinomatibus plurimum prodest: ad pruritus & scabiem vrina humana cum nitro, lotura crurium & pedum oculorum vitia tollit. Felle humano ad pteri-gia oculorum & nebulas commodè vtuntur, sanguine gladiatorum epoto curari comitiales affirmant: morsus hominis for-dibus aurium. Saliua ieiuni hominis serpentes & scorpiones necat, quotidie defricato loco impetigines sanat, in palmam manus si antequam feriat quis inspuat, atrocio-

res ictus fieri constat; si post ipsum id fiat lenitur percussus dolor, aded vt delumbata quadrupes restituitur claudicareque desinat. Saliua quoque fascinationes arceri putabant antiqui, offe in forma cicercis ac magnitudine quod in pollice pedis laetæ augeri bonam fortunam multi crediderunt. Multa alia sunt quæ huc transferri possent: sed illud non prætereundum censeo coniunctissimos sanguine & amore alterum alterius etiam si longinquius absit extremas sæpius sentire calamitates.

Sed est Magiæ species alia dæmonum vi peracta, cuius illustre exemplum apponam ex Ioanne Iouiano Pontano in Quinto libro de bello Neapolitano. Ferdinandus Aragonum Rex circumfederalat oppidum Molisium non procul Suefa, sitique præmebantur ciues, aded vt iam deditionem tractarent milites, & qui præfidio præerant, magicisrationibus aquam cælo deducere adorti sunt, emissisq; clâ impiis quibusdâ viris eum cruce cui Christi statua lignea affixa erat, maledictis illâ prius & diris recitatis carminibus in mare execrabundi immerferunt, cælo mari terrisque tempestatem imprecari: Inde etiam in ipso oppido, asino pro templi foribus constituto tanquam agenti animam cecinere funestum carmen, post diuina Eucharistia in illius os palatumque iniecta, conclamatum asinum funeris cantibus, viuum tandem ibidem pro foribus templi humauerunt. Hic verò vixdum perfectæ sacro, abnubescere aer, agitari mare ventis cum cepisset, dieisque medius offundi tenebris, ac nunc cælum micaret ignibus, nunc lux omninè eriperetur, tonitruque cælum ac terra personaret, euulsæ ventis arbores, discissaque fulminibus saxa compleret auras frigoribus, prærupit tanta è nimbis pluuia. Imbrésque tam validi, vt cisternæ modo colligendis aquis satis non essent, sed arenaria saxa, rupésque exustæ solibus torrentes vndeque prolapsos diffunderent. Itaque rex qui solam insiti potiundi spem collocauerat, frustra ab ea habitus, ad Sa-uonem vetera in castra rediit. Erat, vt Alexander ab Alexandro refert, in genialibus Athenis Terræ simulacrum, exorantis à Ioue pluuiam, nec frustra: vbi enim ei sacrificabatur pluuia confestim terram irrigabat. Incertum tamen est, an id astrorum vi, an dæmonum arte fieret, nam quis vetat fieri statuam, lunâ cum Venere in Cancro positâ in occidente, maximè circa asinos aut hyadas Tauri, qua mota imbres cieantur? maxima est vis astrorum, si quis ea aptè vti norit, nec velit, vt nuper Theatino Pontifici Gauricus, polliceri regnum Neapolitanum nullis astris id suadentibus, neque Pontificis genesis id præstaret, nec illius regni initia nota ei essent: quo factò vt erat ille Pontifex irritabilis, totam damnauit astrologiam: sed debuit falsos astrologos & adulatores improbos exurere, veterum autem iustis laboribus parcere, veterum crimen hoc Gaurici viri nequissimi potius

potius fuit quam culpa vlla Pontificis. Ergo huic generi magiæ consulit Iamblichus, vt operam demus his penè verbis. Detinent Magi hominem, qui diuinationi addictus est, aliquando in tenebris: quod ibi nihil sit quod venturum lumen impediat: aliquando in lumine eum præparant, vt maior sit ad diuinum lumen similitudo, tuncque lumen illud à sole accipitur, aut luna, aut in serena nocte ab astris, vel in aqua excepto vel pariete sacris Characteribus depicto: in illa ob perspicuitatem, in hoc autem ob soliditatem tanquam magis accomodato. Admonent præterea quædam cognata diis insinuandis: diuinaturoque potiones exhibent, & compositiones nec non carmina adhibent, sed & alibi odores accendunt & statuas fingunt, quæ postmodum, excantationis vim retinent. Itaque & per somnia admonentur qui perunt nonnunquam imaginando species ad rerum sensus vsque deducunt, sic vt videant aut audiant responsa vel imagines rerum futurarum, quanquam etiam ipsæ statuarum responsa ipsa exhibent, voce vel signis. Hæc verò profona sunt & etiam falsa vt non demirer Plinium passim has vanitates damnasse: præcipuè hanc prosequitur & insectatur cum inquit: Proinde ita persuasum sit, inestabilem irritam inanem esse, habentem tamen quædam veritatis umbras: sed in his veneficas artes pollere non magicas. Virginem autem Lotharingiam non omnino certum est qua vi id egerit: bis decepta fuit primum in expugnatione Lutetia, vbi secundo sagittæ ictu vulnerata est: inde in obsidione dum erumpere conaretur capta, & Rothomagi ad palum exusta viua est, tanquam maga atque excantatrix. Ferunt etiam grauidam fuisse, Anglosque ob id distulisse supplicium. Ipsa quoque virgo vt testatur. Ioan. Ludonicus Micquellus ingenio fuit præstanti: & in agendis rebus impigra, ac fidens admodum, atque indefessa, vt omnia vel sine dæmonum auxilio illi tribui possint, & certè quoad successum rei multa videntur dæmonis auxilium vel etiam diuinum testari. Primum quod oues patris pascenti species humana angustior ante oculos eius obseruata, cum illa vt par erat, consternata & animo destituta iaceret, bono animo eam esse iussit: Et vt Carolum regem ab Aurelia obsidione liberaret, eumque vt regno potiretur efficeret. Deinde quod Pyrus sub quantam debebat, nec cartem in hanc diem, nec vetustatem, nec fulmen aut grandinem vel pluuiam aut niuem sentire vlla sit, quod sanè tot annis si perduraret, pro præsentis miraculo haberi posset. Et rursus quod Bandricurtium ea die quæ Carolus ad Roborerum diui Dionysij infaustè dimicarat, cum itinere trium dierum etiam per equos dispositos distaret ab eo loco de clade accepta monuisset. Ensem quoque insignem cum Rex obtulisset non accepit, sed templum D. Caterinae peruetustum &

rubigine oblitum petiit sibi dari, cum tamen vix vlli scirent eum ensem in eo templo reconditum esse. Ipsa etiam circumfessa diligenter vrbe & custodibus vigilantibus tanquam ex condito in eam ingressa est regemque vili habitu vestitum inter multos proceres agnouit. Illud quoque mirum puellam, quæ nihil nisi oues ruri pascere nouerat, tam scite equitasse, loriam, galeam clypeumque gestasse, vt nil aliud tota vita egisse videretur: nec paruorum argumentum est in tantis difficultatibus, cum tot belli ducibus strenuis tam illustrium virorum confesso vni illi Carolum salutem suam regnique credidisse. Demum quod Tricasses intra triduum dedendos somnio monita vt testabatur prædixisset idque euenerit, ergo mista sunt hæc: & qui huiusmodi vident, plerumque propriis sensibus non confidunt, quodque diuinum est sibi tribuentes, dum propriis viribus confidunt, in laqueos incidunt. Ergo aliquid astitisse illi, non vt illi faueret, sed regi vsque ad regis coronationem credendum est. Illud ad dæmones pertinere crediderim cum sacrificanti Galbæ in Hispania puer qui acerram tenebat, cauit, imperium illi in senio ostendens.

Porro vtilitatis ac facultatis magicæ artis euidentissime argumentum est torpor ille ac desperatio in obeundis negotiis, quibus omnia pessum eunt: è diuerso alacritas cum spe omnia facilia nobis exponit. Quot exercitus sine causa casti ac fugati: multi à paucis, armati ab inermibus, duce cum strenuo ab his qui sine duce sine pecunia sine frumento: vnde hoc nisi à quodam afflatu erga victores futuros propitiorum dæmonum, & contra erga vincendos cacodæmonum. Vnde illud de Patrico terrore apud Romanos. Larrones vidi qui cum decem viris pugnacibus depugnassent, imo sapius cum pluribus depugnauerant & felleiter; cum hora illa accesserat à senelictore solo velut oues, ducti sunt, eum tamen certo scirent ad quam crudelem scenam ducerentur. Quid de admodum sapientibus, cum sine causa desipiunt? Ergo quantum proficit animo collabentes confirmare atque restituere: quamque facile id sit mago naturali quisque intelligere potest, vel lapillo vel alio modo ex dictis, tum cohortatione atque ad Deum precibus ac monitis sapientum. Itaque vniuersa res in hoc consistit, vt hypomochlion inueniamus ac circa illud vt decet versetur, tunc illud verè dictum fuerit.

*Carminibus Circe socios mutauit Vlyssi.*

Omitto modo artificiosam magiam quæ magicæ nomine digna non est, cum ars sit mechanica atque multiplex, vt quæ constat machinis speculisve tum iaculatorum funambulorum agilitate ratione vinculorum ac dolis. Quin etiam suffitibus certis & sub syderum constitutione exquisita Porphy

Porphyrius affirmat protinus apparere vigilantibus etiam nobis simulachra quædam dæmonum. Simile est hoc ei quod referunt de nubibus quibusdam circa sortes forma animalium, figuraque rerum etiam incognita, cum quæ tamen niuere videntur atque homines amplecti cum sint contactu frigidissimi. Similiter & apud Thylen & in Arabia deserta huiusmodi simulachra contingunt. Multa etiam sunt quæ profus à miraculo sunt aliena, vt difficile sit vera à falsis diiudicare, velut de spectro quod videbatur inter scissæ rupis rimam iuxta Calcecerum annis iam fermè quadraginta in ripa lacus Latij, dum ex Muso Comum tenditur, duo oculi grandes inter lapides videbantur, vox vocantis nautas, & vt descenderent hortantis: & dum loqueretur oculi mouebantur, inde terror ingens, sex prope annis durauit, die nihil cernebatur, mixta ex historia & mendacio vt reor opinio. Anis erat vlula maior cuius oculi magni vt ignes noctu lucent, vox rauca & echo inter montes resonans pauidis & superstitiosis dæmonis nomine imponebat: ita vulgatum erat dæmonem aut mortuum latitare inter rupis frustra, vox illius Italica lingua quasi præternauigantes aduocabat. Nuper rusticus quidam ex villa sancti Stephani probe Corbetam nomine Caspar cum audisset ab vxore, quod Sycophanta eam violare conatus esset, indignabundus quod uon illum vicisci potuisset, ad nemus se contulit, inuocatque cacodæmone, animam & corpus obtulit, vtque asportaret eum roga-

bat, subitò ille & niger ac grandis cornutus terribilisque qualis pingitur apparuit, asportauitque per stadij dimidium extra nemus: cumque ille inclamarer Iesum Deumque dimisit, sed artonitum & mutum, exustis vestibus, & manuum volis. Tandem medicis auxiliis ad vitam reuocatus, narrauit totam historiam, adiciens oportere illum ex pacto bis locum eum nemoris adire, quod & fecit, sed confessus & sacerdotibus atque aliis fociis armatis comitantibus: nihil autem apparuit, sed locus ille nemoris mirum in modum olebat, sulphur atque bitumen exustum. Hic illud considerandum, quòd animo destitutus ac quasi mortuus iacuerit, cum id, si ille non finxit, efficere haud facile sit citra vitæ periculum, rem magnam illi accidisse necessarium fuisse: odor etiam ille aded foetet, & exustæ vestes declarant incendium seu arte seu à dæmone affuisse. Itaque aut dolus maximus est, aut miraculum maius, adhuc & inauditum inter vera exempla. Forfan dici possit id potuisse dæmonem consensu hominis exhibitò, certè huiusmodi narrationes aut eleuant verissimarum fidem, aut historiam valde incetam reddunt. Multa tum huiusmodi exempla narrantur de cacodæmone inuocantibus, qui depreheni sunt ac penè suffocati: hoc quidem concordat videre audire concepta firma fide, sed transferri hominem, accendi ignem supra naturam dæmonum esse videtur, quatenus sunt incorporei, forsam vt dixi, quòd inuocati à sese dantibus aliquod amplius possint.

